

AD I COR. CAPUT. IV.

v. 3. Ἐμοὶ δὲ εἰς ἐλάχισόν ἐστιν.

Est Hebraismus: Nam illis attributa, quæ Græce Nominativo exprimerentur, exprimuntur per ἧ quod valet εἰς. Vide quæ diximus ad Matt: XIX, 5.

ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ.

ἵνα hic valet si. Parum mea refert, quid vos de me judicetis, pro eo quod Dens de me iudicaturus est. Hoc vult cogitare illos, quos non nominat, sed notat.

ἢ ἀπὸ ἀνθρώπων ἡμέρας.

Hieronymus putat hoc & alia quædam esse è Cilicum, ubi Græcam linguam didicerat primum Paulus, idiomate. Illis enim diem solitum dici pro iudicio: Nec mirum cum & Latine dicamus dicere diem, & Germanis verbum significans citare ad iudicium, à die deducatur. Sed & יוֹם Jobi XXIV, 1 Hebræi interpretantur iudicium.

Nonnulli hoc iudiciū in bonam partem accipiunt, etiam B. Lutherus, quasi dicat, nullius facio, neq; tantillum me movet, vestro iudicio me alius præferri: Si à Domino contigerit iudicari, hoc est, probari, ero verè laudatus. Alii verò malam in partem interpretantur, Glossa interlinear: Bullingerus, Aretius, & pleriq; cæteri, quasi dicat: Parum refert, quod à vobis iudicet, ut malus dispensator. Sed probè consistunt illæ sententiæ, si cum B. Hier: Wellerio in utramq; partem intelligatur, hoc modo: Pro minimo mihi est, utrum vos iudicio vestro me extollatis, an verò depressatis. Diem humanum notare præconia, & applausus nonnulli è Jer: XVII, 16. volunt, ubi tamen in fonte non est dies hominis, sed dies contritiones, Dicitur autem humanum dies, cum non ex veritate, vel juxta Dei verbum, sed ex libidine vel temeritate, ut solent plerumq; homines, iudicium fertur. Ideò iudicio Dei contradistinguitur. Intelligitur autem illegitimum sive encomiasticum, sive detractorium, circa industriam, dona, & qualitates doctorum, ideoq; perperam id ab Anabaptistis, Anglicanis quibusdam turbatoribus, & Thoma Erasto argum: 4. contra excommunic: detorquetur ad prohibenda iudicia Ecclesiastica. Nam nec objectum convenit, quod tale hic est, de quo non potest haberi certitudo in hac vitâ, quodq; solùm dies Domini manifestabit: Nec subjectum, quod non tam Doctores sunt, quàm Auditores, qui præsumebant iudicare doctores suos.

Quid dies hū-
humanus?

A 3

AX.